

ri, maritimas in immensum vires cum totius christianæ reipublicæ exitio protenderent; formidandique cunctis effecti, Italie quoque minitarentur. Aequum itaque censere, ut Veneti ecclesiasticis opibus juventur; ob id senas e sacerdotiis decumas Reipublicæ concedendas esse arbitrari. Ceterum his, quæ a Gregorio in Patrum concilio pluribus pro Republica dicta fuerant, parum eventus respondit. Nam cum a Senatu extraordinaria subsidia potius, quam decumæ, quas nullus unquam Pontifex pernagaverat, peterentur, re in consultationem primo adhibita, mox remissius agitari coepit, demum cunctatione extracta; Gregoriumque ad injurias a Turcis illatas ulciscendas propensum, ad alias curas ac solicitudines novi rerum eventus attraxere; cum præfertim Philippum Hispaniarum Regem ad omnium virium suarum robur in Belgico bello conferendum multa compulissent.

Nam hujus anni initio Midelburgum, ab Arausionensi Principe obsessum, deditione amiserat: ac licet paulo post victoria potitus, in qua Ludovicus & Henricus Nassovii, Arausionensis fratres, ac Christophorus Palatinus, qui validam Germanorum manum ad opem Belgis ferendam adduxerat, occiderant; attamen alterna fortuna toto hoc anno pugnatum fuerat; in diesque difficilior eas provincias perdomandi ratio fiebat, quæ usque ad extremum spiritum obstinato pro sua libertate, ac privilegiis animo certare statuerant. His rerum successibus annus hujus saeculi septuagesimus quartus elabebatur, pace cum Selymo sancta; maritimi, terrestrisque belli suspicione depulsa; Galliæ Regis ad urbem adventu insignis, quem bina quoque sequuta in urbe incendia memoratu dignum reddidere; quorum alterum Aloysio Mocenico diem, quo ad principatum evectus fuerat, proceribus civitatis convivio exceptis celebranti contigit, quo publicarum ædium pars conflagravit; alterum nundinarum tempore, quæ Venetiis solemnni Ascensionis festo perveteri consuetudine habentur, noctu exortum, non absque civitatis metu, in qua navalis incendii adhuc memoria hærebat, tabernas complures, quæ eo tempore in foro excitantur, cum pretiosis mercibus absumpsit.

Incendia
Venetiis
exorsa.